MASTER NEGATIVE NO. 92-80628-6

COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR:

KELLERHOFF, EDUARD

TITLE:

DE COLLOCATIONE VERBORUM PLAUTINA...

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1881

Master Negative #

92-80623-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Kellerhoff, Eduard,

De collocatione verborvm Plavtina qvaestiones selectae... scripsit Edvardvs Kellerhoff... Argentorati, 1881.

pp. 49-84 20 cm.

Thesis, Strasburg.

From Studemund Studien II.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9-1-93 INITIALS SS

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

COLLOCATIONE VERBORVM PLAVTINA

QVAESTIONES SELECTAE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS KELLERHOFF

GVESTPHALVS

ARGENTORATI

MDCCCLXXXI

Postquam ad optimorum Plauti et Terentii codicum lectiones aditus patefactus est, ut tempore belli magis ei spectantur milites, qui saucii redeunt, sic ei potissimum uersus, in quibus experirentur, digni uisi sunt uiris doctis, qui plus minusue aperte corrupti traditi sunt. Sed cum seuerioribus, quam olim creditum erat, legibus teneri et linguam et numeros priscorum poetarum intellectum esset, nimio coniectandi ardore abreptos ad crisin in Plauti et Terentii fabulis exercendam homines doctos non paucos accessisse sensim pedetemptimque coeperunt prudentiores iudices perspicere flagitaueruntque, ut crisis a cursu ad gradum reuocaretur. Itaque hodie constat maius moderationis suae exemplum eos qui priscas fabulas ediderunt dare et debuisse et potuisse, si abstinuissent ab ea fiducia, qua freti in locis difficilioribus ne ab asperrimis quidem remediis sese abstinuerunt. Sane eis commentationibus, quibus nuper singula capita rei grammaticae et metricae priscorum poetarum diligentius explorata sunt, quamquam saepe non tam quid poetae illi scripserint quam quid scribere non potuerint docetur, tamen priorum errorum abundantia artioribus circumscripta est finibus.

Nuperrime constantiam quandam appetiuisse Plautum et Terentium etiam in collocatione uerborum cum alii homines docti data occasione obseruarunt, tum Antonius Mahler docuit libello de pronomium personalium apud Plautum collocatione Cussalini anno 1876 publici iuris facto. Quamuis enim priscorum poetarum de collocatione uerborum leges prima specie uideantur nimia uarietate distingui, tamen Mahleri commentatione effectum uidetur, ut minus praui admisturi sint uerbis comicorum restituendis, qui diligentius obseruauerint, quem illi usum

secuti sint in uerbis collocandis. Et profecto ea quae Mahler enucleauit maxime, si quid uideo, commouerunt priscae latinitatis perscrutatores, quia contra plurimorum spem expectationemque euenerunt. Id unum uitio uertendum est Mahlero, quod easdem leges in uerbis collocandis a Plauto ubique constantissime obseruatas esse arbitratus non paucos uersus correctione indigere sibi persuasit, quos recte in libris manu scriptis traditos esse accuratior olim docebit disquisitio.

Vt enim statim meam de legum in collocatione uerborum obseruatarum constantia et inconstantia opinionem aperiam: certe eae, quas constanter et ubique tenuerunt in collocandis uocabulis poetae latini prisci, leges secernendae sunt ab eis normis collocandi, quas plerumque quidem secuti sunt, nec tamen ea constantia, qua qui religiosissime orationem et stilum limant, uti solent. Sane et in lingua latina et in lingua graeca cum certis et perspicuis atque ad sententiarum uerborumque conexum auribus et oculis indicandum idoneis suffixis longe plurima uocabula insignita essent, nulla erat causa, cur uerborum collocatio aeque artis et tamquam anxie excogitatis finibus circumscriberetur, atque quibus impediuntur longe maxima pars earum linguarum, quibus hodie utuntur cultioris ingenii homines. Quodsi leges quasdam in uerbis collocandis poetas latinos priscos obseruasse facile est ad intellegendum, consentaneum est eas non tam a recondita aliqua, quae insita fuerit in lingua latina, necessitate repetendas esse, quam paullatim ex ipsa loquendi consuetudine cum aliorum tum scaenicorum poetarum profluxisse.

Accedit quod in eis potissimum uersuum sedibus, quae a Plauto et Terentio accuratius ita construuntur, ut syllabarum schema graecum religiose seruetur — ueluti in senariorum iambicorum et septenariorum trochaicorum clausulis — propter metri necessitatem poetae scaenici prisci non raro ab eo, quem ceteroqui obseruant, usu in uerbis collocandis recedunt.

Ego aliquot annis antequam Mahler libellum academicum publici iuris fecit, quas leges Plautus et Terentius cum in aliis uerbis collocandis tum in pronominibus secuti essent, quaesiueram. Quarum quaestionum cum maximam partem praeoccupasset Mahler, ego hac commentatiuncula selecta ex uniuersis quaestionibus capita sola proponam; spero autem fore ut aliquando occasio mihi detur omnes eas quae ad uerborum collocationem pertinent quaestiunculas una et pleniore collectione comprehendendi. In eis quas hoc loco cum hominibus doctis communicabo obseruationibus propter discrimen, quod inter leges et normas a priscis poetis obseruatas intercedere supra docui, sedulo adnotare non supersedebo, utrum seuerius an laxius singulas leges uel potius normas secuti sint Plautus et Terentius.

§ 1.

Initium igitur disputandi a pronominibus faciemus, quae cum in consuetudine cotidiana saepissime adhiberentur, apud illos scriptores, qui scriptis suis uulgaris sermonis imaginem exprimunt, latissime patebant, quamobrem certis quibusdam legibus plurima pronominum collocata esse facile conicias.

1. Ac primam legem collocationis pronominum personalium Mahler l. l. p. 2 sqq. hanc constituit: nominatiuus pronominis primae et secundae personae ponitur ante casum obliquum eorundem pronominum, quam legem Mahler permagna exemplorum copia diligentissime confirmauit: Epid. 150 *Nunc places: nunc ego te laudo.* || *Patiar ego istuc qua lubet;* item Amph. prol. 40. 104. 124. 279. 285 etc. etc.

2. Omnia quae de pronominis personalis collocatione in constructione accusatiui cum infinitiuo proferri possunt, comprehendit Mahler l. l. p. 26 sqq., cum uberrima exemplorum copia collecta doceret: 'Postquam uidimus a Plauto nominatiuum pronominis personalis semper poni ante eiusdem pronominis casum obliquum, sibi constans poeta fuisse nobis uidetur, quod etiam in accusatiuis cum infinitiuis posuit accusatiuum, qui est subiecti casus, ante reliquos pronominis personalis casus'. De paucis uersibus, qui huic legi obstant, exposuit Mahler l. l. p. 28—35 ita ut paulo audacius legitimum pronominum ordinem ubique restitueret;

sane nonnullae ex eis quas Mahler temptauit correctionibus propter subtilitatem lubricae sunt.

3. Idem Mahler l. l. p. 35 sqq. legem constituit, quam Plautus obseruauerit, si bini casus obliqui pronominis personalis primae secundaeque personae eodem in enuntiato extant, atque demonstrauit accusatiuum praecedere ceteros casus; ponitur igitur accusatiuus ante genetiuum, ante datiuum, ante accusatiuum ex praepositione pendentem, ante ablatiuum ex praepositione pendentem, cuius rei testes sint hi uersus: Pseud. 378 *Séd sine númmo frústra's qui me tui miseréri póstulás;* Amph. 909 *Et id huc reuorti uti me purgarem tibi;* Amph. pr. 20 *Pater huc me misit ad uos oratum meus;* Amph. 580 *Vaha, apage te a me;* etc.

4. Datiuus ponitur ante accusatiuum et ablatiuum ex praepositione pendentes[1]: Amph. 833 *Vt mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore Contigit;* Aul. II 2, 83 *Nulla controuorsia mihi tecum erit;* etc.

5. Nominatiuus pronominis personalis praecedit ablatiuum absolutum, cuius subiectum est pronomen personale[2]: Capt. 739 *Quor ego te inuito me esse saluom postulem;* etc.

6. Ablatiuus absolutus, cuius subiectum est pronomen personale, ponitur ante casus obliquos pronominis personalis[3]: Asin. 583 *Quod sese absente mihi fidem habere noluisset;* etc.

7. In ablatiuis qui dicuntur absolutis[4]) pronomen, quod subiecti uice fungitur, plerumque prae-

1) Mahler l. l. p. 38 sqq.

2) Mahler l. l. p. 45 sq.

3) Mahler l. l. p. 46.

4) Exempla collegit Ernestus Bombe 'De ablatiui absoluti apud antiquissimos Romanorum scriptores usu' (Gryphiswaldiae 1877), ubi p. 31 de uerborum collocatione hanc legem constituit: 'Structura ablatiui absoluti dirimi nequit uoculae alicuius quae ab ea aliena sit insertione atque ea tantum uocabula interponi possunt, quae aut pendent ex participio aut ad constructionem illam accommodata sunt'.

cedit ablatiuum substantiui uel participii praesentis, quod haec demonstrant exempla: Trin. pr. 13 *Is rem paternam me adiutrice perdidit;* Trin. 167 *Me apsente atque insciente, inconsultu meo;* Amph. 663. 749. 811. 848. 998; Asin. 22. 584; Aul. I 2, 20. III 2, 14. IV 10, 14. IV 10, 26 et 27; Bacch. 263. 301. 335. 419. 483; Capt. 739; Cas. II 5, 7. II 6, 57; Cist. I 1, 110; Curc. 434. 665. 711. 712. 714; Epid. 62. 585; Men. 272. 492; Mil. 559. 866; Most. 230. 564. 916. 1016. 1121. 1164; Pers. 580. 597; Poen. I 2, 155; Rud. 783. 796; Stich. 131. 132. 525. 602 sq.; Trin. 1161; Truc. II 4, 10. II 4, 32; Eun. 988. 1013. 1059; Heaut. 103. 231. 280. 795. 913. 969; Phorm. 258. 303. 450. 577: Hec. 62. 99. 255. 712. 830; Ad. 198. 507. 560.

Idem ualet, ubi non pronomen sed substantiuum subiectum est: Asin. 455. 456. 853; Bacch. 336; Curc. 32; Mil. 144. 314. 1006; Most. 563; Poen. V 4, 37; Pseud. 237; Rud. 113; Trin. 376. 1015; Eun. 258; Phorm. 791; Hec. 269.

Obstant tamen huic regulae complures uersus; atque pronomen est subiectum: Asin. 647; Cas. II 6, 71; Men. 627; Most. 1139; Stich. 474 (ubi pro librorum scriptura *lubente hercle me* Seyffertus Stud. Plaut. p. 5 *lubente pol me* coniecit, ego *pol mé lubente* proposuerim); Stich. 538; Rud. 712; Andr. 603; Hec. 674; contra substantiuum est subiectum: Amph. 747; Asin. 500; Men. 968; Mil. 321; Poen. I 2, 109. III 4, 18; Andr. 603. 891; Eun. 956; Ad. 158.

Eadem in constructione si participium perfecti passiui adhibetur, modo subiectum praecedit (Pers. 753 *Hostibus uictis, ciuibus saluis, re placida, pacibus perfectis, Bello extincto, re bene gesta, integro exercitu et praesidiis;* Amph. 390. 644. 655; Aul. IV 10, 54; Capt. 82; Men. 470; Merc. 92; Pers. 243; Pseud. 1269; Stich. 402; Trin. 592. 1182; Andr. 923; Ad. 775) modo praedicatum praecedit (Amph. 188 *Victores uictis hostibus legiones reueniunt domum;* Amph. 189. 462. 656; Capt. 85; Cist. I 1, 6; Epid. 605. 695; Men. 469; Poen. III 1, 21; Rud. 318; Stich. 590. 678; Truc. I 1, 56; Andr. 181. 412; Eun. 53. 166. 762; Heaut. 840; Ad. 286. 860. 870).

8. *Ego* pronomen saepissime cum *sum* forma ita conectitur, ut nullum uocabulum intercedat; cui tamen usui et collocationi non pauca exempla obstant. Sollemnis autem collocatio est *ego is sum*, quae occurrit in his uersibus (i. e. *ego* et *sum* intercedente pronomine seiunguntur): Men. 471 *Non hércle ego is sum qui sum, ni hánc iniúriám Meque últus púlchre fúero;* Pseud. 978 *ego is sum;* 1056 *ego is sum;* 1173 *ego is sum;* 979 *ego enimuero is sum;* Stich. 729 *ego tu sum, tu's ego;* Pseud. 607 *ego eius sum Subballio;* Trin. 81 *ego meo sum promus pectori.*

9. In enuntiatis interrogatiuis *sumne ego* nullo uocabulo interposito, atque ita quidem, ut constanter *súmne ego* (non *sumne égo*) pronuntietur, legimus his in uersibus: Merc. 588 *Súmne ego hómo misér, qui núsquam béne queó quiésceré?;* Bacch. 623 *súmne ego amens;* Cas. II 4, 24 *súmne ego miser;* Men. 852 *súmne ego múlier;* Mil. 1345 *súmne ego ápud me;* Pseud. 908 *súmne ego homo insipiens;* Rud. 1184 *súmne ego homó sceléstus;* Pers. 75 *Sed súmne ego stúltus.*

Diuersum uerborum ordinem exhibet unus uersus, quem Ritschelius ex Pyladis coniectura sic edidit: Most. 362 *Séd ego súmne infélix, qui non cúrro cúrriculó domúm?* Atque cum in libris traditum sit *Sed ego sumne ille infelix*, tamen caue transpositis uocibus *ego sumne* usitatiorem uerborum ordinem hunc in modum efficias *Séd sumne égo ille infélix, qui non cúrro curriculó domúm?* Nam cum pronuntiatio *sumne égo* suspicionem mouet, tum *ille* ab sententia ac loquendi usu Plautino abhorret.

10. *Agendi* uerbi formae *ago*, *agam*, *egi* saepius cum *ego* pronomine coniunctae leguntur ita ut nullo uocabulo intercedente dicatur *ego ago*, *ego agam*, *ego egi* in enuntiatis interrogatiuis et obliquis (in enuntiato directo Epid. 340), cuius rei testes sunt hi uersus: Amph. 1040 *Nám quid égo ago, quem áduocáti iam átque amíci déserúnt?;* Aul. IV 9, 20; Most. 34. 368. 378; Trin. 981; Eun. 378; Hec. 132.

Ex eis qui huic usui obstant uersibus Cas. II 5, 33 *Tua instat, né mi détur.* || *Át ego sic agám* nullo modo corrigi posse

apparet. Nec magis Mil. 352 *Séd ego quód ago, id me ágere opórtet: hóc obsérvare óstiúm* mutare audeo.

11. Vt in compluribus ex uersibus modo laudatis, ita *quid ego* pronomina nullo uocabulo interposito in enuntiatis interrogatiuis cum aliis uerbis coniuncta occurrunt: Curc. 589 *Quid ego fáciam?;* Pers. 26 *Quíd ego fáciam?;* Merc. 633 *Quid ego fácerem?;* Pers. 185 *Quid ego díxi?;* Andr. 252 *Nam quid ego dicam de patre?;* Capt. 556 *Quíd ego crédam huic?;* Merc. 887 *Quid ego aúdiám?;* Pers. 787 *sed quid ego aspicio?;* Phorm. 685 *Quíd ego nárrem?*

Interrogatio *Quíd ego núnc faciám?* cum his quos notaui ictibus initium horum septenariorum trochaicorum efficit: Cas. III 2, 19; Curc. 555; Men. 963; Mil. 305; Most. 371. 1149. Itaque Epid. 255, qui septenarius BJ libris auctoribus sic editur:

> *Quíd ego fáciam núnc? consílium a te éxpetésso, Apoécidés,*

corrigendum esse censeo hoc modo:

> *Quíd ego núnc faciám? consílium sqq.*

Haec exempla omnia cum trochaicorum uersuum particulas efficiant, nescio an duo exempla in iambicis uersibus, quae ab hoc usu recedunt, retinenda sint:

1) Merc. 712 *Quid núnc ego fáciam, nisi ut eam ádeam atque ádloquár?,*

quamquam PF codices sollemnem tuentur collocationem *Quid égo nunc fáciam.*

2) Bacch. 857 *Quid núnc ego fáciam?* || *Iúbe sis me éxsolui citó.*

Nec secus interrogatio *Quíd ego núnc agám?* his ictibus constanter pronuntiatur et in extremis uersibus (Aul. II 3, 7; Most. 662; Trin. 718; Ad. 784) et in aliis uersuum sedibus (Aul. III 2, 33; Cist. II 1, 52). Ac similiter Terentius scripsit Andr. 612 *Nam quíd ego núnc dicám patri? negábon sqq.*

et Phorm. 1031 *At meo mérito crédo. quid ego núnc commémorem, Démiphó?* [1])

Denique de *quid ego ex te audio?* locutione uide Seyffertum Stud. Plaut. p. 9.

12. Porro idem Seyffertus Philol. uol. XXV p. 459 sqq. hanc constituit legem: 'Si *egomet, tute*, similes pronominum formae in eodem enuntiato coniunguntur cum casu obliquo pronominum illis formis respondentium uelut *egomet* cum *me* uel *mihi*, *tute* cum *te* uel *tibi*, aut cum formis possessiuorum, *egomet, tute*, similes formae priorem locum obtinere solent': Aul. 717 *Quod cústodíui séduló, egomét me défraudáui.* Quam ad legem confirmandam Seyffertus ipse l. l. exempla collegit, quibus addo Pers. 573 *Ferreas tute tibi* (Bothius Ritschelius *tibi tute*) et Amph. 607 *egomet memet.*

De his uersibus huic normae repugnantibus: Pseud. 908 *Sed ubi illic est? sumne ego homo insipiens, qui loquar haec mecum egomet solus?*; Stich. 708 *Tibi propino. decumum a fonte tibi tute inde, si sapis*; Mil. 1117 *Qui potius quam tute adeas, tuam rem tute agas?*; Ad. 712 *Sed cesso ire intro, ne morae meis nuptiis egomet siem?* Seyffertus ipse certum iudicium non fecit. Nec mihi Mil. 1117 et Ad. 712 a librorum memoria recedendum uidetur. Contra Pseud. 908 cum in libris ABCD traditus sit hic septenarius anapaesticus: *Sed ubi illic est? súmne ego homo insipiéns, qui haec mécum egomét loquar sólus?*, possis aut octonarium hac facili correctura et simul usitatiorem uerborum ordinem restituere: *Sed ubi íllic est? súmne ego homo ínsipiéns, qui haec égomet mécum lóquar solús?* aut septe-

1) Porro *quid nunc faciam?* interrogatio his exemplis probatur: Men. 832 *quíd nunc fáciam?*; Most. 678 *quíd nunc fáciam?*; Pseud. 1229 *quíd nunc fáciam?*; Truc. IV 3, 49 *quid núnc faciám?* Addo Amph. 1046 *quid núnc agám?*

Contra Terentius dixisse fertur Ad. 625 *Núnc quid fáciam?*, ubi *quíd nunc fáciam* transponendo efficere uix ausim. Cas. V 3, 13 edidit Geppertus *Néscio nunc quíd agam, nísi uti fámulos ímiter ímprobós.* Codices praebent *Quid nunc agam, nescio, nisi ut improbos famulos imiter*, quod quibus numeris describendum sit, nondum exploraui.

narium hunc: *Sed ubi illic est? súmne ego homo ínsipiéns, qui egomét mecum haéc loquar sólus?* Denique Stich. 708 cum BCD *tibi tute*, sed A *tibi te* exhibeant, conicias: *Tíbi propíno. décumum a fónte túte tibi índe, sí sapis.*

Illud certe constat, usitatum illum pronominum ordinem, ubi in libris traditus est, nisi certa quadam causa cogente non mutandum esse. Quare Merc. 544, ubi Ritschelius edidit: *Tandem ímpetráui, me égomet út corrúmperém*, libri autem BCD *impetraui ut egomet me*, A teste Studemundo (cum hiatu in caesura penthemimere) *ímpetráui égomet me út* praebent, cum illis tenendum est: *Tandem ímpetráui ut égomet mé corrúmperém.* Porro Mil. 429, quem Ritschelius et Brixius cum Bothio sic scripserunt: *Quíd metuís?* || *Enim né ⟨nos⟩ nósmet pérdididerímus úspiám*, poterat *nos* non ante *nosmet* sed post hanc uocem addi, modo ne *nosmét nos* pronuntiatio, praesertim ante dihaeresim, offenderet. Alia condicio est uersus Truc. I 1, 38, ubi *nos* accusatiuus ideo ante nominatiuum *nosmet* positus est, quia *nos* adnectitur aliis accusatiuis, qui praecedunt: *quom rem fidemque nosque nosmet perdimus.*

13. *Me* et *te* pronomina ubi cum *hodie* aduerbio consociantur, priorem obtinent locum ita ut plerumque (etsi non constanter) nullum uocabulum intercedat: Amph. 706 *Hanc est obiurgare, quae me hodie aduenientem domum sqq.* 398. 748; Asin. 74. 362; Bacch. 841. 859. 1029. 1094; Capt. 653; Cist. II 1, 48; Curc. 556; Men. 588; Merc. 438; Most. 1033. 1040; Pers. 795; Poen. V 2, 31; Stich. 581. 654; Andr. 607. 620; Eun. 302. 1031.

Quare uerborum ordo in libris traditus reuocandus est his duobus locis Rud. 892 *Bene fáctum et uólup est mé hodie his muliérculis Tetulisse auxilium (me hodie* BCD, *hodie me* Geppertus et Fleckeisenus) et Rud. 1166 *Quí te di ómnes pérdant qui me hodie óculis uidisti tuis (me hodie* BCD, *hodie me* Fleckeisenus).

Iam cum huic legi unus repugnet uersus Amph. 752, quem BDJ libri ita praebent *Aúdiuistin tu hódie me illi dicere éa quae illa aútumát?*, uidetur corrigendum (conf. Amph. 748 *Audiuistin tu me narrare hodie haec?*): *Aúdiuistin tú me hodie ílli dicere*

éa quae illa aútumát?, quae collocatio simul propterea praeferenda est, quod sic *tu* et *me* pronomina nullo uocabulo dirimuntur. Cf. supra (p. 51) § 1, 1.

Item coniunguntur *te hodie* uocabula in his uersibus: Men. 398 *Pallam te hodie mihi dedisse uxoris.* || *Etiam nunc nego;* Amph. 758; Curc. 691. 727; Epid. 495; Mil. 67; Pers. 293; Stich. 243. 613; Truc. IV 3, 42; Andr. 654; Hec. 386; Ad. 838. Itaque Mil. 1421 retinendum erit, quod libri exhibent *Vt te hódie hinc ámittámus Véneriúm nepótulúm*, ita ut *te⟨d⟩ hodie* cum Guyeto, uel *⟨nos⟩ te hodie* uel *te ho⟨ce⟩die* ad hiatum tollendum corrigamus.

Eodem modo alii quoque pronominis personalis casus cum *hodie* aduerbio coniunguntur: *se hodie* Pers. 401; *mihi hodie* Capt. 703. 783; Pseud. 373; *tibi hodie* Pseud. 1182; Cas. III 4, 18; *tibi . . . hodie* Eun. 803 (?); *nos hodie* Cas. II 6, 65; *is hodie* Eun. 205; *ille hodie* Eun. 616.

§ 2.

Pronominum uel substantiuorum eiusdem stirpis, quae continuo coniunguntur, nominatiuus (raro accusatiuus) casus obliquos praecedit, quam regulam constituit Kiesslingius, qui haec exempla collegit Mus. Rhen. XXIII p. 411 sq.: Amph. 726 *uigilans uigilantem;* Asin. 31 *lapis lapidem;* Bacch. 460 *puer puero;* Capt. 1019 *grandis grandem;* Curc. 378 *alius alium;* Men. 404 *palus palo;* 961 *saluŏs saluōs;* Pers. 776 *ut amantem amanti ⟨dare⟩ decet;* Poen. III 3, 72 *hospes hospitem salutat;* V 4, 98 *alter alterum;* Pseud. 1142 (quem tamen uersum *Quid iam?* || *Quia te⟨d⟩ ipsus coram praesens praesentem uides* Luchsius ope libri A sic emendauit: *Quid iam?* || *Quia tu eum ipsus ipsum praesens praesentem uides);* Pseud. 1260 *alter alterum;* Rud. 438 *hostis hosti;* 440 *ciuis ciui;* 1262 *praeda praedam;* Stich. 370 *alius alium percontamur;* 373 *tun eum ipsus ipsum.* Ipse hos uersus addam ad hanc regulam perficiendam: Amph. 601 *lac lactis;* Aul. pr. 30 *illa illum;* II 1, 20 *aliă aliā;* Bacch. 19 *lacte lactis;* Cas. 51 *alter alterum;* Merc. 449 *ille illam;* 457 *ille illam;* Mil. 101 *et illa illum contra;*

552 *aqua aquae;* 785 *quae alat corpus* (acc.) *corpore;* Most. 1075 *praesens praesenti;* Pers. 71 *ille illi* (dat.); Rud. 810 *illic illas;* Trin. 153 *solus solum;* 605 *ille illam;* Truc. I 1, 27 *alter altri;* Andr. 772 *illa illum;* 779 *alia aliam;* Phorm. 790 *uir uiro.* Conf. etiam: Amph. pr. 134 *censet illa illum uirum Suum esse;* Bacch. 503 *ne ille illud hercle cum malo fecit suo;* Men. 1089 *neque aqua aquae neque lacte lactis, mihi crede, usquam similiust;* Merc. 975 *ille quidem illam sese ancillam matri emisse dixerat;* Stich. 545 *Deinde senex ille illi dixit quoius erat tibicina;* Ad. 668 *cum hanc sibi uidebit praesens praesenti eripi.* Plerumque igitur, ut exemplis prolatis demonstratur, eiusdem stirpis uocabula nullo alio uocabulo intercedente coniunguntur; tribus (uel quattuor) tamen in uersibus illa uocabula dirimuntur, qui uersus nihilo minus sunt retinendi: Amph. 468 *Amóuisse: ille adeo illum méntiri sibi;* Epid. 250 *Ibi illa interrogauit illam: 'qui scis? qui id dixit tibi?';* Most. 479 *Hospes necauit hospitem captum manu;* conf. etiam Capt. 602.

Ei uersus, in quibus haec lex obseruata non est, paene omnes corrigendi sunt. Nam Amph. 786 non cum BJ codicibus et Fleckeiseno *Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminauimus*, qua de collocatione uerborum Kiesslingius quoque dubitat l. l. p. 412, sed cum D scribendum est *Núnc si pátera páteram péperit, ómnes cóngemináuimús.* — Nec minus initium senarii Pseud. 24 non cum Ritschelio *Aliam alia scandit*, sed cum libris ABD (C *aliă aliă* habet) scribendum esse *Alia aliam scandit* perspexit Kiesslingius l. l. — Mil. 658 Ritschelius contra libros sic edidit: *Non inuenies alterum Lépidiórem ad omnís res, néc qui amico sít amicús magis.* Sed hic uersus cum libris et Kiesslingio scribendus erit *Lépidiórem ad omnís res néc qui amicus amico sít magís* (Brixius edidit *nec magis qui amico amicus sit*, Lorenzius infeliciter errans in re prosodiaca *Lépidiórem omnimodis néc qui mágis amícus amicŏ(!) sit).* — In uersibus Amph. 623 et 624 *Vigilans uidi, uigilans nunc te uideo, uigilans fabulor, Vigilantem ille me iam dudum uigilans pugnis contudit* propter anaphoram uerborum collocatio tradita tolerari potest. — Trin. 1119 *Ita gaudiis gaudia*

suppeditant emendandum esse censeo *Ita gaudia gaudiis suppeditant.* — Denique Stich. 731 R: *Técum ubi aútemst, mécum ea ítidemst: neútri neúter inuidét,* ubi libri *neuter utri* praebent, non dubito quin corruptela quaedam insit; an *neúter neúteri inuidét* scribendum?[1])

§ 3.

De particulis affirmatiuis.

1. Particulae affirmatiuae sollemniter cum *ego* pronomine ita construi solent, ut illae pronomen antecedant nullo interposito uocabulo: *hercle ego, edepol ego,* similia: Asin. 37 *Neque hercle ego istuc dico nec dictum uolo;* Amph. 556. 768. 1030; Asin. 263. 300. 376. 836; Aul. I 1, 14. I 1, 20. II 2, 9. II 2, 46. II 2, 72. II 2, 74. III 2, 12. III 3, 8. III 4, 11. III 6, 14. IV 6, 4. IV 10, 34. V 21; Bacch. 558 (ubi *po.* a Ritschelio iure interpositum mihi uidetur); Capt. 238. 464. 913; Cas. II 2, 9 (quaternarium anapaesticum restituit Studemundus in scholis: *Nam ego ibam ad te.* || *Ét pol ego isto ad té;* pro *isto* libri ABJ praebent *istuc).* II 3, 15. II 3, 25. II 6, 3. II 6, 21. II 8, 33. III 3, 6. III 4, 4. IV 1, 1. IV 3, 11. V 2, 18; Cist. IV 1, 10; Curc. 134. 537; Epid. 173. 310. 326 (ed. Goetz). 453; Men. 301. 471. 500. 509. 619. 629. 642; Merc. pr. 15. 453. 510. 785. 980; Mil. 371. 433. 526. 858. 1014; Most. 384. 386. 536. 586. 905; Pers. 50. 143. 224. 235. 786; Poen. I 2, 119. I 2, 164. III 2, 15. III 5, 42. V ', 12. V 5, 10. V 5, 23; Pseud. 276. 879. 910. 912. 1252; Rud. 238. 721. 769. 844. 939. 1085. 1188; Stich. 108. 437. 646; Trin. 372. 474. 613. 1061; Truc. II 2, 13. II 2, 32. II 4, 6. II 7, 51. II 7, 57. IV 2, 16; Eun. 606. 665; Heaut. 491. 553; Phorm. 615.[2])

Huic magno exemplorum numero haud parua copia uer-

1) Mil. 1054 nescio utrum in uerbis *serua illam púlcram púlcer* Brixius ultimum uocabulum tamquam uocatiuum an tamquam nominatiuum intellexerit.

2) Omisi talia, qualia Ad. 551 leguntur, ubi *hercle . . . ego* dirimuntur interposito alio uocabulo.

suum obstat, qui hanc regulam respuunt. Sunt autem hi: Pseud. 603 Ritschelius edidit: *Iam stratioticum hunc ego nuntium aduenientem pol percutiam.* Sed cum BCD tradant *Iam pol ego hunc stratioticum nuntium aduenientem probe percutiam* et A quoque in initio uersus exhibeat IAMPOLEGO, quin initium uersus retinendum sit, iam non erit dubium; nec in ceteris a librorum memoria erit recedendum, qui hunc anapaesticum septenarium commendant: *Iam pól ego hunc strátioticum nuntium áduenientem próbe percútiam.* — Aul. III 1, 8 olim edidit Wagner: *Atát perii hércle miser egó: senex áperit báccanál, adést,* sed rectam collocationem *perii hercle ego miser,* quam libri BJDP exhibent, restituendam esse demonstrauit Seyffertus Stud. Plaut. p. 24. — Curc. 520 Fleckeisenus scripsit: *Quid, stúlta, plóras? né timé: bene ego hércle uéndidi te;* libri praebent *bene hercle uendidi ego te.* Corrigendum est cum Mahlero (in sententiis controuersis dissertationi adiectis): *Quid, stúlta, plóras? né timé: bene hércle ego uéndidi te.* — Cas. IV 3, 5 *Át ego amó.* || *At ego hércle nihili fácio, tibi amor pró cibóst* duce libro A a se plenius quam ab aliis lecto scripsit Studemundus in scholis *(nihili* A, *nihil* BJ; *pro cibost* A, *pericli* BJ), ubi nescio an propter anaphoram *at ego hercle* dederit Plautus. — Cas. V 3, 15 *Nugas istic dicere lice⟨a⟩t: ego hercle inuitus uapulo.* Sic Geppertus contra codices ABJ scripsit, in quibus tradita est haec uersus clausula: *uapulo hercle ego inuitus tamen,* quae seruanda esse uidetur, quidquid de priore uersus parte restituenda iudicandum est. — Rud. 1131 Fleckeisenus edidit: *Perii miser ego hercle: ut priusquam plane aspexit, ilico sqq.* Cum codicibus BCD tamen restituendum erit *Périi hercle égo misér: ut priusquam pláne aspéxit, ílicó sqq.,* nam in breui syllaba in tertii pedis thesi pro longa posita accedente interpunctione fortiore haerendum uix est. — De Truc. IV 2, 46 conf. Mahlerum l. l. p. 17. — Itaque Ritschelius praue ut uidetur Trin. 946 edidit *⟨Taceo eg⟩o hercle si est molestum.* || *Nam pudicum neminem sqq.;* quamquam ipse certiora proferre non possum. — Truc. II 3, 26 *Ita ego illam edepól seruem itaque párce uictitém;* ex iis, quae de *pol* particulae usu coniunctae cum alia particula

infra exponam, ueri non est dissimile hoc loco *pol* particulam esse adhibendam hoc modo: *Ita pól ego illám seruem itaque párce uictitém*, quamquam numeri parum elegantes sunt. — Bacch. 78, ubi Ritschelius edidit: *Scio ⟨ego⟩ quid ago.* ‖ *Et ego pol scio quid metuo. set quid ais?* ‖ *Quid est?* uerborum ordinem *Et pol ego* in libris traditum seruandum esse perspexit Mueller 'Nachträge' p. 104: conf. Cas. II 2, 9; Mil. 433; Poen. V 4, 12; Pers. 224. 235. — Bacch. 1107 *At pol ⟨certo⟩ ego ibi sum, esse ubi hominem decet miserum atque infortunatum* remouendum est *certo* uocabulum, quod Hermannus addidit, et cum libris Palatinis hic septenarius anapaesticus restituendus: *At pól ego ibi sum, ésse ubi míserum hominém decet átque infórtunátum*, conf. Mueller Plaut. Pr. p. 128.

Apparet igitur *pol ego* maxime usurpari, ubi tertium quoddam uocabulum antecedit, exempli gratia: *nunc pol ego, tum pol ego*, alia, cuiusmodi exempla in numerum uersuum supra enumeratorum iam sunt recepta.

Itaque Poen. V 4, 58 *Nunc égo pol te úlciscár probé, nam fáxo eris mea spónsa* iam non dubium erit quin contra A solum *ego pol* exhibentem cum Palatinis praeferendum sit *Nunc pól ego te úlciscár probé, nam fáxo eris mea spónsa.*

Contra ubi ab ipsis uocibus *pol* et *ego* sententia incipit, modo *Pol ego* usurpatur (conf. exempla supra collecta) modo *Ego pol:* Amph. 285. 1043; Asin. 139. 353. 909; Aul. IV 4, 2; Cas. II 1, 10. II 4, 17; Most. 4; Pers. 743. 819; Heaut. 730. 1060; Hec. 734; Eun. 199. 941; Andr. 866; conf. etiam *Ego edepol* Asin. 140.

2. Si ad particulas affirmatiuas alia uocabula ad illarum uim augendam adponuntur, uelut *immo, obsecro, quaeso, credo*, alia, haec uocabula priorem occupant locum, ad quae uocabula hoc ipso loco *iam* particulam adnumerabimus. Testes huius legis sunt hi uersus:

Obsecro hercle: Asin. 29 *Dic obsecro hercle serio, quod te rogem;* Asin. 38; Bacch. 254. 553; Capt. 680; Curc. 308. 313. 314; Men. 180. 197. 946. 1016. 1093; Merc. 170. 179. 988; Mil. 1396. 1408; Most. 469. 507. 513. 557. 618. 622;

Pers. 427; Poen. I 2, 112. I 2, 180. III 1, 40. III 3, 59; Pseud. 29. 116. 130. 340. 1073. 1191; Rud. 563. 1032; Truc. II 3, 8; Eun. 362. 562.

Quaeso hercle: Asin. 40 *Etiamne?* ‖ *Age quaeso hercle usque ex penitis faucibus;* Asin. 417. 683; Capt. 570; Cas. pr. 68; Men. 742. 1066. 1305; Merc. 614. 1013; Most. 897. 1176; Pers. 145; Poen. III 5, 40; Pseud. 885; Rud. 834; Eun. 356. 466.

Certe hercle: Asin. 263 *Certe hercle ego quantum ex augurio hoc auspicioque intellego;* Truc. I 2, 71; Phorm. 523; Andr. 495 (qui tamen uersus cum BCEP libris *Certe hercle nunc ipsus se fallit, haud ego.* ‖ *Edixin tibi* scribendus est).

Immo hercle: Asin. 616 *O Libane, ut misere miser homost, qui amat!* ‖ *Immo hercle uero sqq.;* Bacch. 211; Cas. pr. 38. II 6, 17. II 6, 51; Men. 656; Merc. 759; Most. 907; Poen. V 4, 61; Rud. 986. 1097. 1367; Truc. II 4, 68; Ad. 247. 483. 928.

Credo hercle: Curc. 452 *Credo hercle te esse ab illo: nam ita nugas blatis;* [Bacch. 361; Cas. II 6, 36; Epid. 257; Mil. 310; Poen. III 3, 30; Rud. 363; Trin. 53; Ad. 683.

Iam hercle: Cas. II 8, 35; Men. 917; Mil. 858; Poen. I 2, 142. I 2, 164. V 4, 50. V 5, 23; Pseud. 302; Rud. 479; Stich. 646; Truc. II 2, 13. II 2, 32. II 7, 51. IV 2, 46. IV 2, 48. V 53.

Certe (uel *certo*) *edepol:* Amph. 271. 399. 441; Aul. II 2, 39; Merc. 444; Mil. 273; Pseud. 511; Phorm. 735.

Quaeso edepol: Amph. 753; Most. 376. 1026; Andr. 305; Hec. 786.

Credo edepol: Amph. 282. 1074; Aul. II 2, 27; Cas. II 5, 19; Pers. 484. 617; Trin. 864; Rud. 1188; Hec. 732.

Immo edepol: Aul. II 2, 84; [Bacch. 1100]; Capt. 209. 287. 289; Cas. II 8, 19; Epid. 667; Men. 678. 1068; Mil. 422. 462; Most. 766. 1082; Pseud. 874. 1199; Rud. 1161. 1305; Truc. I 2, 87.

Obsecro ecastor: Amph. 682. 812 (quem septenarium sic redintegrandum puto: *Óbsecro écastór, quor ístuc, mí uir, ⟨núnc⟩ ex te aúdió?*, quamquam in locis lacunosis difficilis ad certam salutem recursus est).

Immo ecastor: Cas. V 4, 16; Mil. 443.

Credo ecastor: Cas. II 2, 12. II 6, 3; Poen. I 2, 110.

Credo mecastor: Merc. 689.

Pol particulam cum talibus uocabulis coniunctam (praeter *iam pol:* Poen. V 5, 10; Truc. I 2, 19. III 2, 4) nusquam deprehendi.

Pauci uersus huic legi obstant: Atque Curc. 129, ubi Fleckeisenus edidit: *Taceo ⟨ego⟩: ecce autem bibit arcus. hercle credo, hodie pluet,* hunc octonarium anapaesticum restituit Goetz: *Tace, nól⟨o⟩ i⟨staéc⟩. ‖ Taceo: écce autém bibit árcus: plúet, credo hércle hodié.* — Ad. 281 *Heus, heus Syre. ‖ Quid est? ‖ Obsecro te hercle hominem istum impurissimum* cum ECP codicibus *Obsecro hercle te hominem istum impurissimum* praeferendum erit.

Contra Curc. 310 *Lássitúdine hércle crédo. ‖ Rétine, rétine me, óbsecró* uix licebit corrigere.

3. Luchsius in Herm. VIII p. 121 sq. exemplis confirmauit *quidem hercle* uerba semper ita coniuncta esse, ut nullum aliud uocabulum intercederet. Ad regulam plene cumulateque perficiendam denuo omnia exempla, in quibus *quidem hercle* occurrit, enumerabo et ea, in quibus *quidem edepol, quidem pol* legitur, adiciam. Exempla igitur sunt haec:

quidem hercle: Amph. 556 *Quid est? quo modo? iam quidem hercle ego tibi istam sqq.;* Amph. 397. 736. 986; Asin. 275. 405. 414. 478. 817. 843; Aul. III 3, 1. III 6, 34. IV 10, 30; Bacch. 738. 999. 1027; Capt. 88. 649. 750; Cas. II 6, 38. V 2, 37. V 4, 18; Cist. II 1, 50; Curc. 704; Men. 313. 346. 727. 1029; Merc. 269. 382. 425. 762. 980. 1023; Most. 229. 632. 1022. 1112; Pers. 591. 629; Poen. I 1, 23. I, 3, 3. I 3, 34. II 47. III 1, 63. III 2, 11. V 2, 154; Pseud. 79. 109. 628. 654. 1070; Rud. 108. 139. 737. 1361. 1369; Stich. 189. 480. 554. 687; Trin. 58. 419 *(quidem apparet ercle* A, rectam BCD praebent collocationem *quidem hercle apparet*). 559. 612. 761; Truc. II 2, 7. II 2, 58. II 4, 18. II 6, 29. II 6, 54. IV 3, 40; Andr. 225. 347; Eun. 50; Heaut. 523; Phorm. 164. 624; Hec. 306. 783. De Curc. 211 conf. Luchsium l. l.

quidem edepol: Amph. 777; Asin. 190. 543. 645; Cas. II

6, 8. II 6, 31. V 4, 31; Cist. IV 2, 87; Curc. 182; Epid. 648; Men. 383. 497. 665. 927; Mil. 19. 659; Most. 1008; Pers. 546; Poen. IV 2, 47. V 2, 17. V 2, 18; Pseud. 1199; Rud. 557. 806; Truc. I 2, 104; de Most. 1081 conf. Luchsium l. l. *quidem pol:* Asin. 681; Aul. IV 4, 10; Cas. I 55. II 4, 21; Epid. 180; Mil. 353; Most. 894. 1075; Pseud. 25; Rud. 1300; Stich. 625; Trin. 363; Andr. 803; Eun. 731. *quidem ecastor:* Cist. I 1, 45.

Nonnulla exempla extremo in uersu propter metri necessitatem ab illa regula discrepant: Asin. 920 *Quid tibi hunc receptio ad test meum uirum? ‖ Pol me quidem sqq.;* Epid. 409 *Hanc edepol rem adparabat. ‖ Plane hercle hoc quidemst;* Mil. 19 *Illuc quidem edepol nihil est. ‖ Nihil hercle hoc quidemst;* Mil. 28 *At indiligenter iceram. ‖ Pol si quidem sqq.;* Mil. 322 *Quid iam? ‖ Quia luscitiosu's. ‖ Verbero, edepol tu quidem sqq.;* Mil. 988 *Quae anulum istunc attulit, quem tibi dedi. ‖ Edepol haec quidem sqq.;* Mil. 1006 *Nam haec lacerta, mullo absente, me adigit se ut amem. ‖ Hercle hanc quidem sqq.;* Truc. II 4, 28 *Num tibi sordere uideor? ‖ Non pol mihi quidem.*

Alii praeterea uersus tolerandi sunt, quamquam nulla cogente ratione metrica ab usu supra exposito recessum est: Pseud. 1288 *Libere hercle hóc quidem. sét uidé statúm;* Trin. 716 *Abit hercle ille quidem. ecquid audis, Lysiteles? ego te uolo;* Stich. 561 *Hércle illé quidem cérto aduléscens dócte uórsutús fuit;* Cas. II 6, 16 *Iamdudum hercle fabulor. ‖ Pol tu quidem atque etiam facis;* Cist. I 1, 9 *Pol istóc quidem nós pretió facilést Frequentáre tibi;* Mil. 406 *Dudum edepol planumst id quidem: quae hic usque fuerit intus;* Mil. 1017 *Pol istúc quidem múltae. ‖ At nón multaé de digito dónum mittunt;* Most. 208 *Inscita ecastor tu quidem es. ‖ Quapropter? ‖ Quae istuc cures;* Poen. V 2, 88 *Quid ait? ‖ Non hercle nunc quidem quicquam scio;* Poen. V 3, 54 *Pol istuc quidem iam certumst. tu istos, Milphio, sqq.;* Capt. 332 *Priuatam medici Menarchi. ‖ Pol is quidem huius est cluens;* Ad. 293 *Pól is quidém iam hic áderit: nám numquam únum intérmittit diém;*

Amph. 714 *Écastór quidém te cérto sqq.* cum B[b] *equidem* scribendum uidetur (*quidem* habent B[a]DJ).

4. Particulis affirmatiuis *uero* particula saepissime ita subiungitur, ut fere unum efficiatur uocabulum:

Sic *hercle uero* legitur Asin. 249 (*Hercle uero, Libane, nunc te meliust expergiscier*). 373. 616; Capt. 75; Cas. pr. 38. 84. V 4, 14; Curc. 375. 711. 725; Epid. 688. 707; Men. 280. 307. 618. 630. 656. 821. 1032; Mil. 324. 367. 683. 830. 1004; Most. 907; Pers. 162. 285. 448. 534; Poen. I 3, 27. 29; III 6, 2; Pseud. 326. 626; Rud. 785. 797. 1369. 1372; Stich. 374. 497. 597; Trin. 752; Truc. II 4, 68; V 29; Heaut. 612. 692. 766; Ad. 902. 975.

Item *mehercle uero* Stich. 250; *ecastor uero* Merc. 691; *pol uero* Bacch. 1162; Eun. 675; Phorm. 1054; *immo edepol uero* Most. 766; Pseud. 874; *immo uero* Pseud. 607. 635.

Propterea quod *hercle uero* fere unum uocabulum efficiunt, *ego* pronomen, ubi additur, non post *hercle* uel *uero*, sed ante *hercle uero* ponitur, ut in his tribus exemplis quae Mahleri diligentiam l. l. p. 15 non fugerunt: Men. 216 *Sequere tu me.* || *Ego hercle uero te et seruabo et te sequar;* Men. 516 *Ego hercle uero.* || *Non tu abis quo dignus es?;* Most. 577 *Ego hercle uero clamo.*

5. *Qui* particula cum particula affirmatiua coniuncta hanc subsequitur, uelut *hercle qui* (uel *quin*), *edepol qui*, *ecastor qui*, *pol qui*, *quippe qui:* qua de collocatione egit Fleckeisenus Misc. crit. p. 28—33 omniaque exempla collegit.[1])

6. *Namque edepol* nullo uocabulo interposito coniungi demonstrauit Seyffertus Philol. XXV p. 462, quam collocationem his exemplis confirmat: Capt. 604 *Namque edepol, si adbites propius, os denasabit tibi;* Men. 1137; Merc. 508; Mil. 1226:

1) Poen. IV 2, 88 Geppertus uidetur recte scripsisse: *Quín meus hércle cóllibértus fáxo erís, sei deí uolént.* (*quin* A, *qui* BCD; *meus hercle collibertus*] *hercle collibertus meus* A, *hercle conliberatus* (*coll.*) *meus* BCD; *eris* BCD, *tu eris* A).

Poen. I 2, 115; Pseud. 555; Stich. 573. 662. 719; (conf. Trin. 731 *Namque hercle*).

7. De *perii hercle*, *interii hercle*, *perii hercle ego*, *pol ego perii* uide ea quae congesta ampla exemplorum copia Seyffertus Stud. Plaut. p. 24 et adnot. 16 protulit.

§ 4.

De negationibus.

Negationes certum obtinere solent locum in enuntiatis apud priscos poetas. Atque

1. ubi *non*, *neque*, *numquam*, *nusquam*, *nisi*, *ni*, *nihil*, *nolo*, aliae negationes cum *ego* pronomine construuntur, negationes plerumque quidem priorem locum obtinere et uersus initium efficere solent:

Non ego Amph. 449. 518. 531. 839 etc. etc.
Neque ego Amph. 264. 279. 908. 1036 etc. etc.
Nisi ego, *ni ego* Amph. 673; Aul. III 2, 14 etc. etc.
Nihil ego Epid. 305; Bacch. 1036 etc. etc.
Numquam ego Cist. I 1, 46; Most. 214 etc. etc.
Nolo ego Asin. 386. 658; Most. 176 etc. etc.
Nullus ego Andr. 247.
Nescio ego Merc. 147.[1])

Obstant huic usui: Amph. 416; Asin. 839; Bacch. 1043; Men. pr. 12. 23; Rud. 1255; Truc. II 2, 47[2]).

Si tamen in enuntiato aut relatiuum (conf. Trin. 634. 846. 979) aut coniunctio adest, negationem post *ego* poni hi uersus demonstrant: Bacch. 99 *At ego nolo dare te quicquam.* || *Sine.* || *Sino equidem, si lubet;* Bacch. 1004 *Nam ego non;* Cist. I 1, 85 *quia ego nolo me meretricem dicier;* Mil. 860

1) Accedunt pauci uersus, in quibus idem uerborum ordo in libris quidem manu scriptis traditus, sed ab editoribus inmerito mutatus est: Mil. 649 *Néque ego* ⟨*c*⟩*úmquam aliénum scórtum súbigito ín conuíuió;* Merc. 422. Nec magis obstat Aul. III 6, 34, quo de uersu uide Seyffertum Stud. Plaut. p. 8.

2) Aliam apparet esse condicionem uersuum Rud. 795, Bacch. 1043 et similium.

quia ego sibi non dixerim; Poen. V 5, 1 *Si ego minam non ultus fuero probe;* Rud. 687 *At ego uos nolo ambos;* Stich. 384 *Iam ego non facio auctionem;* Stich. 631 *Nunc ego nolo ex Gelasimo mihi fieri te Catagelasimum;* Truc. II 8, 12 *at ego nolo, non eo;* Andr. 563 *at ego non posse arbitror;* Heaut. 779 *At ego illi neque do neque despondeo;* Ad. 221 *uerum ego numquam adeo astutus fui;* etc.

Item *haud* negationem solere proximam post *ego* pronomen sedem appetere his exemplis docemur: Curc. 326 *Ne me ludas.* || *Ita me amabit quam ego amo, ut ego haud mentior;* Aul. II 2, 9 *Ain tu te ualere?* || *Pol ego haut perbene a pecunia;* Cas. II 6, 3 *Credo ecastor uelle.* || *At pol ego haud credo sed certo scio;* Poen. I 1, 74 *Quam ego haud multo post mittam e ballistario;* Mil. 97 *Nam ego hau diu apud hunc seruitutem seruio;* Bacch. 1037 *Neque ego haud committam, ut sqq.* — Stich. 163, ubi Ritschelius edidit: *Ego nón pausillulam ín uteró gestó famém*, suo iure correxit Seyffertus Stud. Plaut. p. 4 hoc modo: *At ego haú pausillulam in uteró gestó famém* (A *Ego nunc pausillulam;* rell. *At ego non p.*).

2. Negationes, quo in numero etiam *nolo, nego, nescio*, alia habemus, ubi coniunguntur cum particulis affirmatiuis *hercle, edepol, ecastor*, aliis, illae has particulas nullo uocabulo intercedente antecedere solent, idque semper in initio sententiae; conf. Brixium ad Trin. 409.

a) *Non hercle*[1], *ne hercle, neque hercle, nihil hercle, nescio hercle, numquam hercle*, alia: Asin. 450 *Non hercle te prouideram, quaeso ne uitio uortas;* Asin. 39. 678. 707; Aul. III 6, 36. IV 4, 13; Bacch. 323; Capt. pr. 11; Cas. II 5, 32. V 4, 14; Curc. 83. 320. 711; Epid. 724. 728; Men. 92. 280. 301. 307. 471. 509. 533. 618. 619. 821. 1060; Merc. 585. [620]. 738; Mil. 19. 31. 156. 186. 278. 369. 486. 581. 830. 852. 1043. 1073. 1396; Most. 678; Pers. 140. 162. 237. 283. 440. 628; Poen. I 1, 45. I 3, 21. I 3, 27. I 3, 29.

1) Ei uersus, in quibus *non* et *quidem hercle* occurrunt et particula *quidem*, quia (ut uidimus) *quidem hercle* continuatur, inter negationem et *hercle* ponitur, exceptionum loco non sunt habendi.

II 46. V 2, 68; Pseud. 87. 326. 779 (ed. Lorenz recte contra Ritschelium); Rud. 131. 470. 787. 790. 824. 1016. 1039. 1085. 1372. 1400. 1414. 1416; Trin. 409. 483. 973; Truc. I 2, 72; Andr. 194. 440. 775; Eun. 218. 305. 321. 530. 1032; Heaut. 612. 766; Hec. 416; Phorm. 137. 683. 774. 969; Ad. 419. 551 (ubi non cum A *Numquam hercle hodie ego*, sed cum CDEFGP legendum est *Numquam hercle ego hodie*). 554.

b) *Non edepol, nihil edepol, numquam edepol, nego edepol*, alia: Amph. 887 *Non edepol faciam neque me perpetiar probri;* Amph. 336. 371. 516. 672. 762. 768. 913. 1041; Asin. 279. 299. 465. 512. 886; Aul. II 2, 46. II 2, 76. IV 10, 34; Bacch. 321. 515. 922; Cas. pr. 38; Cist. II 1, 34. IV 2, 66; Curc. 537; Epid. 61. 263. 461; Men. 325. 500. 518. 613. 629. 687. 824. 1067; Merc. 126. 391. 438. 446. 460. 496; Mil. 538. 847. 848. 1074. 1263; Most. 609. 657. 833. 905. 1088. 1113; Pers. 128. 186. 668; Poen. IV 2, 50. IV 2, 65. V 2, 26; Pseud. 152. 342. 507. 925. 1018. 1101; Rud. 943. 1288. 1371; Stich. 476. 638. 756; Trin. 357. 574. 606. 971. 1004; Truc. II 2, 51. II 4, 14; Eun. 867. 1002; Hec. 160.

c) *Non pol, numquam pol, nihil pol, nullus pol*, alia: Capt. 158 *Non pol mirandumst fugitare hanc prouinciam;* Asin. 395 (Goetz *edepol*); Aul. I 1, 32. III 6, 7; Capt. 259. 605; Cas. IV 1, 1; Curc. 594; Men. 770; Merc. 22. 785; Rud. 340. 966; Truc. II 1, 29. II 4, 28; Andr. II 1, 20. IV 4, 49; Eun. 96. 903. 1009; Phorm. 998; Hec. 228. 566. 728. 772.

d) *Non ecastor, nihil ecastor*, alia: Asin. 877 *Nihil ecastor est quod facere mauelim.* || *Manedum.* || *Quid est?;* Cas. III 2, 8. V 1, 3; Cist. IV 1, 16; Merc. 672; Pers. 219; Poen. V 4, 71; Stich. 361; Truc. II 6, 61.

Ex eis uersibus, qui huic regulae obstant, Ritschelii demum coniecturae debetur Men. 453 *Nón ad eám rem ⟨hercle⟩ ótiósos hómines décuit déligi*, ubi si *hercle* particulam a Ritschelio suppletam (in libris omissam) probamus, secundum regulam scribendum est *Nón ⟨hercle⟩ ád eam rem ótiósos hómines décuit déligi.* — Nec nimium cum norma illa pugnat Trin. 918 *Néque adeo édepol flócci fácio, quándo egomét memini mihí*, quoniam *ne-*

que adeo, cum unam fere notionem efficiant, non licet uerbo aliquo inserto dirimere.

Nec multo magis illi normae repugnant ei uersus, in quibus sententia non ab ipsa negatione sed a coniunctione incipit. Quod si est, cum *hercle, edepol, etc.* secundum enuntiati locum obtinere soleant, *non, nescio, etc.* necessario particulas affirmatiuas subsequuntur: Most. 708 *Átque pól néscio út móribús siént;* Truc. II 1, 28 *Nam ecástor númquam sátis dedit suae quísquam amícae amátor;* Curc. 571 *Mihin malúm minitáre?* ‖ *Atque édepol nón minitábor, séd dabó;* Andr. 505 *Tibi uerba censes falso: itaque hercle nihil iam muttire audeo;* Aul. II 3, 5 *Di bene uortant, uerum ecastor non potest, subitumst nimis.* — (Men. 98 R: *Nam illic homo* ⟨*hercle*⟩ *homines non alit, uerum educat* huc non pertinet, quoniam *non* propter contrarium *(educat)* proximum ante *alit* locum sibi flagitat; ceterum debebat Ritschelius saltem *Nam* ⟨*hercle*⟩ *illic homo homines* proponere. Conf. etiam Curc. 571, quem uersum paulo superius excripsi.)

Denique non refelli uidetur norma illa paucis uersibus, in quibus negatio primum, uerbum secundum, particula affirmatiua tertium locum enuntiati occupat, quod ita explicandum puto, ut negationem cum uerbo in unam notionem coaluisse sumamus: Men. 150 *Perge.* ‖ *Non pergo hercle uero, nisi scio qua gratia;* Merc. 895 *Non uideo hercle nunc, sed modo uidi;* Hec. 499 *Non credidi edepol adeo inhumanum fore.*

Eiusdem generis est Eun. 274 *Hoc tibi mancupium?* ‖ *Non malum hercle.* ‖ *Vro hominem.* ‖ *Vt falsus animist.*, ubi *non malum* idem atque *bonum* significat. Similis uerborum ordo eadem de causa ortus est Men. 198 *Ego saltabo? sanus hercle non es.* ‖ *Egone an tu magis?;* Heaut. 491 *Somnum hercle ego hac nocte oculis non uidi meis;* Phorm. 807 *Equidem hercle nescio.* ‖ *Vin scire? at ita me seruet Iuppiter.* Ab his igitur si recesseris exemplis, re uera normae illi repugnat Merc. 958 *Édepol númquam: cáui né quid fácerem. uix uiuó misér*, ubi si quid mutandum est, in promptu est correctura *Égo pol númquam: cáui né quid fácerem. uix uiuó misér.*

3. Sicut *non* ceteraeque, ut uidimus, negationes particulas affirmatiuas praecedere solent, ita *haud* negatio has particulas sequi solet, cuius regulae testes sunt hi uersus: Amph. 503 *Abeas?* ‖ *Edepol haud quod tui me neque domi distaedeat;* Amph. 663. 1124 *Pol me hau paenitet;* Asin. 388 *Pol hau periclumst;* Aul. II 2, 9; Bacch. 41. 161. 595. 1010. 1193; Capt. 209. 421; Cas. II 2, 17. II 6, 3; Cist. I 1, 49; Curc. 182; Men. 333. 424. 640. 927. 1064; Merc. 828; Mil. 1000. 1041; Most. 720; Pers. 593; Poen. I 2, 78; Pseud. 654. 1084. 1222. 1333; Rud. 345. 986 *Immo hercle haud est.* 1152; Stich. 205. 235. 575; Trin. 63. 90; Truc. II 7, 27; Andr. 336; Ad. 450. 783.

Contra hanc regulam pauca peccant exempla haec:

Bacch. 1124 *At haut pol nitent: sordidae ambae uidentur.* Sic Ritschelius scripsit iniuria contra codices, qui rectam praebent collocationem: conf. Studemundum de canticis Plautinis p. 28: *At pól nitént: hau sórdidaé uidéntur ámbae.* — Most. 798 *Vt istas remittat sibi.* ‖ *Haud* ⟨*hercle*⟩ *opinor. Hercle*, quod in libris non est traditum, Ritschelius inseruit cum hac nota: 'nisi *aequom* males uel *equidem* cum Fleckeiseno: nam de *faciet* frustra cogitabis'; quodsi *hercle* comprobas, non cum Ritschelio post *haud*, sed ante *haud* adiciendum est: *Vt ístas remíttat sibi.* ‖ ⟨*Hércle*⟩ *haud opinor.* — Most. 1081 *Quid iam?* ‖ *Scio iocaris nunc tu: nam ille quidem haud* ⟨*edepol*⟩ *negat. Edepol* a Ritschelio suppletum, in B autem, qui codex solus hunc uersum seruauit, omissum, potius ante *haud* inserendum esse docuit Luchsius Hermae uol. VIII p. 122. — Aul. II 1, 50 *Noui hominem haud malum mecastor.* ‖ *Eius cupio filiam*, ubi uerba *haud malum* artissime inter se cohaerentia unam efficiunt notionem. — Hec. 278 *Omnis esse iniquas: haud pol me quidem: nam numquam secus*, quo in uersu pro *haud* nescio an substituenda sit *non* negatio.

4. *Hau multo post* denique locutionem hoc loco commemorandam opinor, quae duplici cum accentu pronuntiatur: Asin. 853 *Modo quom accepisti, haú multó post aliquid quod poscas paras;* Bacch. 853 *Scies haú multó post.* ‖ *Oppido interii miser;* Curc. 182 *Nam hoc quidem edepol haú multó post*

luce lucebit. || *Tace;* Poen. I 1, 74 *Quam ego haú multó post mittam e ballistario;* Poen. V 6, 23 *Perii hercle.* || *Immo haú multó post, quom in ius ueneris;* Pseud. 1039 *Verum haú multó post faxo scibis accubans;* Pseud. 1043 *Calidorum hau múlto pŏst faxo amplexabere;* Truc. II 5, 21 *Is hic hau múlto pŏst credo aderit: nunc prius praecaueo sciens;* Rud. 888 *Nam in colúmbarí collum ⟨eius⟩ hau múlto pŏst erit* (?). Apud Terentium *hau multo post* non plus semel me legere memini: Phorm. 879 *Haúd multó post cum patre idem recipit se intro denuo.*

Duo tamen exempla, si libris manu scriptis fides habenda est, hunc usitatum ordinem deserunt: Merc. 234 edidit Ritschelius *Ea simia adeo post haud multo ad me uenit;* ubi inuitis codicibus transponendum est *Ea simia ádeo hau múlto póst ad mé uenít.* Illud magis in disputationem uenire potest, quid sentiendum sit de Truc. II 4, 59 (ed. Spengel): *Non multo post hic aderit.* || *Nunc tu te interim sqq.* Pro *non* hoc quoque in senario *haud* legendum esse suspicor, cum praesertim uersus proxime praecedens incipiat a *nunc* coniunctione, qua facile librarius potuit induci, ut pro genuino *haud* exararet *non.*

§ 5.

De coniunctionibus et particulis quibusdam.

1. *Si hercle* T. Maccium dicere solitum esse, ubi enuntiatum condicionale praecedit et ab ipsis uerbis *sí hercle* sententia orditur, Brixius ad Trin. 457 exemplis satis confirmauit (conf. C. F. W. Muellerum Plaut. Pros. p. 202 n. 1 et p. 307 n. 2). Contra illum uerborum ordinem non teneri, ubi totum enuntiatum primarium aut pars eius (uelut coniunctio) priore loco positum est, docuit idem Brixius l. l. conlatis Pseud. 1059 *Nunc deridebo hercle hominem, si conuenero* et Pseud. 1248 *Nam hercle, si cecidero, flagitium uostrum erit.*

Ab illo usu Plautum bis recessisse (Mil. 309 *Hócine sí milés sciát, Crédo hercle hásce aedís sustóllat tótas* et Pers. 627 *Tú si hanc émeris, Númquam hercle húnc mensém uorténtem, crédo, séruibít tibi)* monuit Minton Warren in *American Journal of philology* uol. II (1881) pag. 51.

Eodem modo, quo *si hercle* pronuntiant uiri, mulieres Plautinae bis pronuntiant

2. *Si ecastor:* Asin. 188 *Si ecastor nunc habeas quod des, alia uerba praehibeas;* Truc. II 2, 60 *Si ecastor hic homo sinapi uictitet, non censeam sqq.*

Contra idem Plautus saepius quam *si pol* uel *si edepol* dixit

3. *Pol si, edepol si: Pol si* Asin. 933; Aul. II 2, 10; Capt. 695; Mil. 718; conf. Merc. 489; *Pol si quidem* Mil. 28; *Pol ni* Asin. 860; *Pol etsi* Aul. III 2, 7; *Edepol si* Most. 243 [1]); conf. etiam Poen. I 3, 18 apud Warrenum l. l. pag. 52 sq.

Si pol semel admisit Plautus, semel Terentius: Mil. 1239 *Si pól me nólet dúceré uxórem, génua ampléctar;* Andr. 790 *Sceleste, si pol Glycerio non omnia haec sqq.*

4. *Quom extemplo* (non *extemplo quom)* Plautus scripsit in his uersibus: Amph. 865 *Huc autem quom extemplo aduentum adporto, ilico sqq.*; Asin. 442; Capt. 434. 786; Merc. 295; Mil. 578. 1176; Most. 101. 1064; Pseud. 804; Rud. 979; Trin. 242. 492. 725.

5. *Iam inde a, iam usque a* locutiones tractauit Luchsius Herm. VIII p. 109, ubi docuit *inde* ante *a* et *iam* ante *inde* poni: Cas. pr. 4 *Vt uos mi esse aequos iam inde a principio sciam;* Bacch. 1207; Pseud. 970; Heaut. 183; Ad. 41. 440. — Merc. 521 *Bonam hercle te frugi arbitror matura iam inde aetate* Luchsius l. l. sic correxit: *Bonam hercle te et frugi arbitror iam inde a matura aetate.* Pariter idem correxit Stich. 175 *Quia inde iam a pausillo puero ridiculus fui* (ita fere ABCD) hoc modo: *Quia inde á pausillo púero rídiculús fuí.*

6. Vbi *hoc* uel aliud pronomen cum *primum* construitur, pronomen hanc particulam antecedere solet, ut dicatur *hoc primum, id primum,* alia. Hanc legem testantur hi uersus:

1) Idem uerborum ordo sollemnis est, ubi totum enuntiatum primarium aut pars eius enuntiato condicionali praemittitur: Men. 1144 *Gaudeo edepol, si quid propter me tibi euenit boni; Namque edepol, si* Capt. 604; Pseud. 555; *Nam pol, si* Andr. 808; *Ergo edepol, si* Men. 1023; *Quin pol, si* Asin. 519; *Multo edepol, si* Merc. 419.

Poen. 191 *Hoc primum agamus, quod consilium cepimus;* Amph. 628; Bacch. 269; Men. 780; Most. 592. 748. 1091; Stich. 726; Truc. II 7, 47; Andr. 46; Eun. 101; Heaut. pr. 3. 269.

Semel inuersus ordo excidit Terentio: Heaut. 623 *Prímum hoc te óro, né quid crédas me áduorsum édictúm tuóm.*

Similiter ubi *primum* ad *nunc* refertur, *nunc primum* coniungi solet:

Amph. 684 *Quasi qui nunc primum recipias te domum huc ex hostibus;* Amph. 695. 754. 759; Andr. 936.

7. *Ergo* particula quamquam certum quendam enuntiati locum non obtinet, tamen saepissime initium sententiae occupat, cuius usus exempla permulta enumerare et longum est nec opus uidetur esse. Sed ubi cum imperatiuo consociatur, imperatiuum praemittere consueuerunt comici: Asin. 350 *Quoniam ille elocutust haec sic . . . ‖ Quid tum? ‖ Ausculta ergo: scies;* Asin. 488 *Dare iusserit Demaenetus. ‖ Ita facito. age ambula ergo* (Hoc loco admonebimus, si *age* ad imperatiuum adicitur, *ergo* modo imperatiuum praecedere, modo sequi solere); Asin. 490. 834. 925; Aul. III 2, 14; Bacch. 866; Capt. 689; Cas. II 4, 8 (*ergo* Acidalius, *ego* codd.: conf. Asin. 350; Pers. 701). III 3, 25. IV 2, 14. IV 4, 11; Curc. 172. 727; Epid. 241; Men. 1016; Merc. 905; Mil. 78 (*Age eamus ergo. ‖ Sequimini, satellites.* Vbi cum CD *Agetemus ergo*, B *Age teneamus ergo* praebeant, Studemundus coniecit scribendum esse *Agite ergo eamus sqq.*). 255. 345. 944. 1009. 1198. 1268; Most. 662; Pers. 239. 701. 763. 766. 835; Poen. I, 2, 192. I 2, 193. III 4, 10. IV 2, 71; Pseud. 481. 758. 920. 997. 1016. 1164. 1230 (conf. § 9, 6). 1322; Rud. 184 (conf. § 9, 6). 720. 752. 785. 1142. 1272. 1398; Stich. 725; Truc. V 17; Heaut. 550; Phorm. 539. 718. 984; Hec. 610. 611; Ad. 572. 609. 854. Accedit Stich. 725 *Áge ergo obsérua: si peccássis, múltam hic rétinebo ílicó,* ubi Ritschelius imperatiuum *age* in libris traditum deleuit.

Neglegitur haec consuetudo in his uersibus, in quibus *ergo* particula ante imperatiuum posita est: Rud. 1053 *Níhil agó tecum. ‖ Érgo abi hinc sis. ‖ Quaéso, réspondé, senéx;* Rud. 628 *Quisquis és. ‖ Quin tu érgo omítte génua et quid sit, mi éxpedí;* Merc. 955 *Própter istanc. ‖ Í modo. ‖ Érgo cúra. ‖ Quín tu ergo í modó;* Pers. 388 *Ergo istuc facito ut ueniat in mentem tibi;* Capt. 721 *Ergo áb eo pétito grátiam ístam. dúcité.* (Vbi cum BJ *istam gratiam* inuerso ordine praebeant, possis temptare *Petito érgo ab eo istam grátiam. ⟨Heús, ab⟩dúcite:* conf. de *abducite* uu. 733. 746. 749); Curc. 625 *Ergo ambula in ius;* Men. 430 *Ergo mox auferto tecum, quando abibis. ‖ Maxume;* Merc. 498 *Domi maneto me. ‖ Ergo actutum face cum praeda recipias;* Phorm. 62 *Te fallere? ‖ Ergo ausculta. ‖ Hanc operam tibi dico.*

In enuntiatis interrogatiuis pronomen interrogatiuum uel particula interrogatiua antecedit *ergo* particulam, quod demonstratur his exemplis: Asin. 30 *Caue mihi mendaci quicquam. ‖ Quin tu ergo rogas?;* Asin. 380. 611. 850; Aul. II 2, 78. IV 10, 14; Bacch. 346. 588. 899; Capt. 715; Cas. III 5, 29. IV 4, 24. IV 4, 28; Cist. IV 2, 80; Curc. 19; Epid. 22; Merc. 582. 929; Mil. 1085; Most. 491. 972; Pers. 18. 34. 191. 217 (*Quo ⟨tu⟩ ergo ⟨is⟩*). 664; Poen. I 2, 173. IV 2, 59; Pseud. 914 (*quor ergo* cum A). 1313; Rud. 378. 1271. 1412; Trin. 756. 926. 1157; Truc. I 2, 73. II 7, 58; Andr. 565. 711; Eun. 162. 1062; Heaut. 821. 985; Phorm. 685. 995; Hec. 715. 787; Ad. 324. 326. Accedit Mil. 1008 *Ego hanc continuo uxorem ducam. ‖ Quid ergo hanc dubitas conloqui,* ubi Ritschelius contra librorum memoriam *Ergo hanc quid* edidit, sed iam C. F. W. Mueller Pl. Pr. p. 297 uerum uerborum ordinem restituit.

Desciuit T. Maccius ab hac loquendi norma raro: Epid. 259 *Quód laudétis, út ego opíno, utérque. ‖ Ergo úbi id est, Épidicé?;* Trin. 191 *Pollíceor óperam. ‖ Ergo úbi eris paúlo póst? ‖ Domí;* Trin. 901 *Vbi ipse erát? ‖ Bene rém gerébat. ‖ Érgo ubi? ‖ Ín Seleúciá;* Pseud. 40 *Tace dum tabellas pellego. ‖ Ergo quin legis?;* conf. etiam Merc. 895.

§ 6.

De exclamationibus quibusdam.

In uiuo priscarum fabularum sermone saepe exclamationes occurrunt, quarum ex multitudine praecipue eminent hae quae aequali concordique uerborum cursu ita fluere uidentur, ut stabili uerborum ordine insignes sint:

1. *Vae misero (miserae) mihi* uel *Ei misero mihi* uel *Heu miserae mihi*, quae exclamationes praeter Cas. III 5, 31 et Merc. 708 uersus clausulam occupant: Cas. IV 4, 22 *Edepol papillam bellulam! ei misero mihi;* Amph. 1057; Aul. II 2, 23; Capt. 945; Cas. III 3, 11. III 5, 31; Merc. 181. 661. 681. 701. 708. 759. 770 (*Heu miserae mihi!* sic enim cum A teste Studemundo scribendum est). 792; Mil. 1433; Most. 549; Poen. V 78; Stich. 209 (⟨*heu*⟩ *misero mihi*, ubi *heu* Ritschelius inseruit, sed potius *ei* addendum esse docuit Paulus Richter, quia uiri *ei misero mihi*, feminae *heu miserae mihi* exclamant); Trin. 907; Truc. II 3, 21. IV 3, 20. Vbi eaedem exclamationes primum uel medium uersum obtinent, Plautus inuerso ordine ter *uae* (uel *ei*) *mihi misero* admisit: Mil. 180 *Vae mihi misero, quoi pereundumst propter nihili bestiam;* Merc. 217; Most. 265. *Vae (ei) misero mihi, uae miserae mihi* in extremo uersu apud Terentium habes in his exemplis: Andr. 302 *Qui scis?* || *Apud forum modo e Dauo audiui.* || *Vae misero mihi!;* Andr. 743; Heaut. 234. 917; Hec. 605; Ad. 173. 301. 327. 383. In medio uersu Heaut. 250.

Vbi *me* uel alius pronominis accusatiuus coniungitur cum accusatiuo *miserum* uel *miseram*, pronominis accusatiuus priorem locum occupat. Cui regulae demonstrandae haec inseruiunt exempla: Aul. I 1, 3 *Nam cur me miseram uerberas?* || *Vt misera sis;* Amph. 159. 897. 1056; Asin. 920; Aul. I 1, 27. I 1, 30. III 1, 4. IV 9, 10 (quem uersum Seyffertus Stud. Plaut. p. 9 sic restituit: *Heu me misere miserum, perii sqq.);* Capt. 502; Merc. 624. 775. 893; Mil. 1068; Most. 739; Rud. 682; Stich. 210; Truc. I 2, 21; Andr. 243. 251. 351. 616 sq. 646.

761. 788. 882; Eun. 71. 197; Heaut. 401; Phorm. 187; Hec. 74. 205. 271; Ad. 305. 310. 330. 558.

Huic regulae aduersantur duo exempla Plautina, quinque Terentiana: Bacch. 1101 *Canó capite átque albá barbá miserúm me auro ésse emúnctum*, ubi *me miserum* transponendum putes; Epid. 667 edidit Goetzius Bothium secutus: *Hábet?* || *Immo édepol tú quidem miserum mé⟨d⟩ habés miserís modís*, ubi iam Bothius alio tempore probabilius *tú quidém me miserum* coniecit.

Terentiana exempla nulli dubitationi obnoxia haec sunt: Andr. 240 *Miseram me, quod uerbum audio?;* Eun. 81 *miseram me, uereor ne illut grauius Phaedria;* Ad. 291 *Miseram me, neminem habeo, solae sumus, Geta autem hic non adest;* Ad. 486 *Scio.* || *Miseram me, differor doloribus;* Phorm. 749 *Vbi illae sunt?* || *Miseram me.* || *Hem, quid est? uiuontne?* || *Viuit gnata.*

§ 7.

De execrandi formulis.

De execrandi formulis, quarum uerba adeo inter se cohaerent, ut fere indiuidua esse nec quaedam a quibusdam separari posse uideantur, egit Langenus in Mus. Rhen. uol. XII a. 1857 p. 426 sqq., qua commentatione docemur:

1. *di me ament, di me amabunt*, similia dici, i. e. pronomen inter subiectum et praedicatum poni, contra, si particula quaedam (plerumque *ita*) adponatur, *ita me di ament* et similia dici, i. e. pronomen inter particulam et subiectum collocari. Postquam exemplorum copiam satis magnam protulit (Heaut. III 1, 54 tamen pro *sic me di amabunt* ego scribendum esse censeo *ita me di amabunt*), sic pergit Langenus: 'Quin aliis nonnullis exemplis consideratis etiam longius mihi progrediendum esse uideo, ut nunquam, nisi *di* uel simile uocabulum sententiam inciperet, postpositum esse in uotis et execrationibus pronomen confidenter affirmem. Vide Pseud. 936. 1130 *malum quod tibi di dabunt;* Most. 655; Amph. 563; Poen. I 1, 80. II 1, 41. III 3, 74. Phorm. V 8, 33 *malum quod isti di duint.*' Accedunt ea exempla, quae cum in codicibus recte

tradita essent, ab editoribus iniuria mutata erant: Amph. 597 *Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae* (*di me* ed. Fleckeisenus); Curc. 131 *Quid id est?* || *Periisse ut te dicas.* || *Male tibi di faciant.* || *Dice isti* (*di tibi* ed. Fleckeisenus); Curc. 577 *At ita me uolsellae, pecten, speculum, calamistrum meum Bene me amassint sqq.* (*ita meae uolsellae* Bothius), ubi *Bene mactassint* Ritschelius Mus. Rh. XII p. 432 proposuit; Stich. 262 *Malum tibi di dent* (*di tibi* Ritschelius); Stich. 505 *Ita me di bene ament measque mihi seruassint filias* (*di bene me* Ritschelius), quibus omnibus de uersibus sollerter egit Langenus l. l. p. 430 sqq.

Repugnant legi ab Langeno constitutae uersus paucissimi: Epid. 192 *Id ego excrucior.* || *Di me hercle omnes adiuuant, augent, amant.* Ita edidit hunc septenarium Goetzius Langeno obsecutus (*hercle me omnis* libri). Possis etiam proponere: *Id ego excrucior.* || *Di hercle me omnes adiuuant, augent, amant,* quam collocationem unus codex P praebet. — Aul. II 2, 79 *Istuc di bene uortant.* || *Ita di faxint. illud memineris.* Recte Langenus eique adstipulatus Seyffertus (Stud. Plaut. p. 2 adn. 2) *istuc* deleuit, quod numquam ante *di bene uortant* formulam poni solet, cf. exempla infra congesta; ac sane ratio flagitauit, ut a sanis inutile secerneretur additamentum; nam in aliis similibus locutionibus Plautus numquam tantum a lege desciuit, ut cum sollemni usu pugnaret. — Cas. III 4, 19 Langenus restituit *Quin hercle te di perdant postremo quidem*, cum in ABJ praue *di te* traditum sit.

2. *Dí bene uórtant* formulam habes his in uersibus, quos Seyffertus l. l. congessit: Aul. II 1, 53 *Di bene uortant.* || *Idem ego spero.* || *Quid? me numquid uis?* || *Vale*; Aul. II 2, 79. II 3, 5; Pseud. 646; Trin. 502. 573; Phorm. 552; Ad. 728.

In fine autem uersus inuenimus *di uortánt bené* in Terenti Hec. 196 *Me esse illum conuenturam.* || *Dí uortánt bené*; Eun. 390 *Numquam defugio auctoritatem. sequere.* || *Dí uortánt bené.*

3. *Quae rés bene uórtat* uel *Quaé res béne uortát* formulam continent hi uersus: Capt. 361 *Quae rés bene uórtat mihi meoque filio;* Curc. 729 *Quaé res béne uortát mi et uobis.* || *Spectatores, plaudite;* Pers. 329; Trin. 500. 572. Addimus Curc. 273 *Ibo atque orabo.* || *Quaé res mále uortát tibi.* Terentius hac formula usus non est.

4. *Di uostram fidem* deprehendimus (plerumque in uersuum clausulis) in his exemplis: Poen. IV 2, 8 *Quae illic hominum corruptelae fiunt. Di uostram fidem;* Capt. 418; Poen. IV 2, 78. V 1, 20; Trin. 591; Truc. I, 1, 8; Andr. 716. 744; Eun. 418. 790. 924. 1049; Heaut. 502; Phorm. 757. 808; Ad. 381. — Men. 872 codicum lectionem *Eu hercle morbum acrem ac durum di uostram fidem* non recte ita in numeros iambicos redegit Bothius, ut diremptis inter se uerbis *Eu* et *hercle*, quae alibi arte conectuntur, ederet *Eu mórbum hercle ácrem ac sqq.;* uerum uidit Studemundus, cum in scholis corrigeret: *Eu hercle ácrem mórbum ac dúrum. dí uostrám fidém.*

5. *Obsecro uostram fidem* formulam enotaui ex his locis Plautinis: Amph. 455 *Abeo potius. Di immortales, obsecro uostram fidem;* Amph. 1130; Cist. IV 1, 11; Men. 999; Most. 77. 530; Poen. V 2, 7; Truc. IV 3, 31. Quare fortasse Mil. 862 *Ne dixeritis obsecro huic uostram fidem* emendandum erit in *Ne huic dixeritis obsecro uostram fidem.*

6. *Pro deum atque hominum fidem!* exclamatio sollemni uerborum ordine seruato occurrit et apud T. Maccium (Curc. 694 *Quidquid est, ipse ibit potius.* || *Pro deum atque hominum fidem!;* Epid. 580) in uersuum iambice cadentium clausula et apud Terentium quouis uersuum loco (Andr. 246; Heaut. 61; Hec. 198).

7. *in malam crucem* formulae exempla Luchsius in Studemundi Stud. I p. 18—20 collegit haec: Cas. V 4, 8 *Occidi.* || *Etiamne imus cubitum? Casina sum.* || *I in malam crucem;* Bacch. 902; Cas. III 4, 21; Capt. 469; Curc. 611. 693; Men. 66. 328. 916. 1017; Pers. 352; Most. 850; Poen. I 2, 134. II 47. III 1, 8. III 5, 44. III 6, 4. V 5, 30; Pseud. 839. 846; Rud. 176. 518; Trin. 598; Cas. III 5, 17; Poen. I 2, 59; Pseud. 335. 1182. 1294; Phorm. 368.

§ 8.

De ablatiuo comparatiuo.

In ablatiui comparatiui quae dicitur constructione ablatiuus ante comparatiuum plerumque ponitur:

Aul. III 2, 5 *Homo nullust te scelestior, qui uiuat hodie;* Curc. 141 *Qui me in terra aeque fortunatus erit?;* item Amph. 153. 279. 446. 818. 1046. 1060; Asin. 492. 543. 557. 614. 704. 717; Aul. II 1, 20. II 2, 29. III 6, 8. V 2. V 3; Bacch. 394. 1180; Capt. 540. 828 (*hominum* post *homine* addidit Camerarius; sed cum *hominum* uix apte cum *nemo* coniungatur, coniciam potius *Quo homine adaeque nemo uiuit ⟨alter⟩ fortunatior*); Cas. II 3, 28. II 5, 30. III 5, 45. V 1, 10; Cist. III 13; Men. 630; Merc. 101. 335; Mil. 313 (cf. Luchsium Herm. VIII p. 108 sq.). 1024. 1238; Most. 30. 256. 279. 1072; Pers. 202. 565; Poen. I 1, 29. I 2, 78. III 1, 1. V 2, 31. V 4, 66; Pseud. 337. 541. 938; Rud. 359. 520. 1191. 1281; Stich. 368; Trin. 692. 929; Truc. II 4, 20; Andr. 31; Eun. 226. 1031. 1051; Heaut. 224. 255. 296. 699; Hec. 491. 566. 848. 861; Ad. 861.

Huic usui hi quindecim uersus repugnant, quos nihilo minus incorruptos esse mihi persuasi: Amph. 545. 548. 907; Asin. 118; Aul. I 1, 21; Bacch. 123; Curc. 551; Merc. 700; Mil. 21. 307; Most. 291. 909; Rud. 281; Andr. 429; Eun. 201.

§ 9.

De uariis quibusdam dictionibus.

1. Qui cum altero collocuturus est, eum appellare solet sollemnibus uerbis *te uolo*, ad quam locutionem *loqui* uel *colloqui* uel *rogare* supplendum est, quae uerba aliquot locis re uera adposita reperiuntur: Amph. 708 *Alcumena, unum rogare te uolo.* || *Quid uis roga;* Amph. 898; Asin. 639; Aul. II 2, 22 [1]); Bacch. 1149; Capt. 977; Curc. 303. 391. 686. 687;

1) Aul. II 2, 22 In codicibus Plautinis hic septenarius talis est: *Da mihi operam parumper: paucis Euclio est quod te uolo;* contra Nonius eundem hunc in modum tradit: *Da mihi operam parumper, si opera est, Euclio,*

Epid. 23; Men. 1086; Merc. 515; Mil. 375; Poen. IV 2, 34; Pseud. 251; Rud. 1216; Trin. 173 (*Sed nunc rogare ⟨hoc⟩ ego uicissim te uolo,* ubi recte quidem Hermannus *hoc* addidit, ego tamen propter regulas de pronominum collocatione constitutas hanc uoculam potius post *ego* ponendam duco *Sed nunc rogare ego ⟨hoc⟩ uicissim te uolo);* Trin. 516. 717. 1059; Andr. 29.

In aliis dictionibus *te uolo* coniunctum legitur Capt. 384; Poen. III 5, 10; Trin. 46. 489.

His uersibus adnumerandus uidetur Aul. II 3, 1 *Vbi tu es quae deblaterauisti iam uicinis omnibus Meae me filiae daturum dotem? heus, Staphila, te uoco.* Etsi enim libri ad unum omnes *te uoco* exhibent, tamen haec dictio non occurrit, ubi *heus* interiectio cum insequente nomine proprio uel pronomine conexa praecedit, conf. Curc. 303. 391. 686. Quare Gulielmium recte restituisse arbitror *Meáe me filiaé datúrum dótem? heus, Stáphila, té uoló.*

Ab lege illa, qua *te uolo* coniungi solent, recedunt Capt. 602, ubi codicum BJ lectionem *Aúdin lápidem quaéritáre?* || *Sólus té solúm uoló* sic emendandam censeo: *Aúdin lápidem quaéritáre?* || *Sólus sólum té uoló,* nisi forte magis placet *Aúdin lápidem quaéritáre?* || *Sólus sólum ⟨ego⟩ té uoló,* conf. Trin. 153. — Pseud. 383 Ritschelius A codicem secutus ita edidit: *Núnc, Calidóre, té mihi óperam dáre uolo.* || *Écquid ímperás?* Reliqui libri cum *Séd nunc, Cálidore, óperam míhi te uólo dare* exhibeant, non male *te uolo* uocabula coniuncta praebent. Ego, cum constanter aut *operam dare* aut *dare operam* dicatur ita ut nullum uocabulum inseratur, malim *Núnc, Calidóre, míhi dare óperam té uolo.* || *Écquid ímperás?* — Pers. 598 *Volo te percontari.* || *Quin laudo, inquam, consilium tuum,* qui uersus in A solo exstat, nescio an sic corrigendus sit *Te uolo percontari.* || *Quin laudo, inquam, consilium tuum.* — Similiter Epid. 460, ubi legimus *Vt dicis, emi.* || *Volo te uerbis pau-*

id quod te uolo, quamobrem ego genuinum esse suspicor *Dá mi operám, si operae ést, parúmper: paúcis ést quod té uoló.* Videtur enim Euclio appellatio a librario demum adiecta esse.

culis, proponam *Vt dicis, emi.* || *Te uolo uerbis pauculis.* — Denique Trin. 963 *Adgrediundust hic homo mi astu. heus, Pax, te tribus uerbis uolo* contra codices, quos Ritschelius secutus est, transponere ausim *Adgrediundust hic homo mi astu. heus, Pax, tribus uerbis te uolo:* conf. Mil. 375. — Heaut. 494 Vmpfenbachius recte edidit *Paratus sum.* || *Scin quid nunc facere te uolo*, cum A D exhibeant *scin quid nunc te facere uolo.*

Eodem modo *uos uolo* coniuncta sunt in his uersibus: Cist. I 2, 29; Curc. 148; Mil. 1267; Poen. V 4, 41; Andr. 345.

2. Similem constantiam adsecutus est Plautus in nonnullis formulis salutandi et similibus. hoc quam uerum sit, paucis exemplis admonere uolo:

Constanter *bene ambula* dixit Plautus (Capt. 900 *Cura quam optume potes.* || *Bene ambula et redambula*; Cas. III 1, 12; Mil. 936; Most. 853); item *bene ambulato* (Capt. 452; Epid. 377; Merc. 327; Pers. 50).

Item Plautus et Terentius uerba *bene uale* non tamquam ex aequo et bono collocabant sed sub formula: Amph. 499 *Bene uale, Alcumena, cura rem communem, quod facis*; Asin. 606; Capt. 452; Curc. 203. 214. 516; Cist. I 1, 115; Epid. 647; Mil. 1352. 1361. 1373; Merc. 496; Poen. III, 1, 65. V 6, 21; Stich. 397; Truc. IV 2, 38. IV 4, 28; Heaut. 167; Hec. 197. — item *bene ualete:* Cist. I, 3, 49; Merc. 866. 1025; Mil. 1340; Truc. V 76.

3. *Nil moror*

formula saepe occurrit: Asin. 643 *Ego conplexum huius nil moror, meum autem hic aspernatur;* Aul. II 1, 47; Bacch. 153. 990. 1073. 1187; Capt. pr. 16; Cas. III 2, 15. III 6, 19; Cist. II 3, 79. V 5; Curc. 453. 515; Epid. 350. 687; Mil. 280. 447. 759; Most. 746. 845; Poen. II 45; Rud. 583. 852; Stich. 206. 424. 712; Trin. 337. 511. 1158; Truc. II 2, 4. IV 3, 18; Eun. 184.

Raro uerba illa dirimuntur: Epid. 305 *nil ego te moror;* Mil. 1333 *Nihil aquam moror;* Trin. 297 *Nihil ego istos moror faeceos mores.*

Cum omnibus his locis constanter *nihil moror* usurpetur,

bis *haud* uel *non* pro *nihil* traditum est: Bacch. 1118 *Haud moror.* || *Heus, Bacchis, iube sis actutum aperiri foris;* Eun. 460 *Ex homine hunc natum dicas?* || *Vbi uis, non moror.* Videndum igitur ne *nil moror* restitui necesse sit.

4. *Volo scire*

locutionem enotaui ex his uersibus: Aul. III 2, 13 *Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negoti Me absente, nisi ego iusseram? uolo scire.* || *Tace ergo;* Aul. III 2, 17 et 18; Epid. 507; Mil. 345. 612; Stich. 113; Truc. II 2, 6. IV 3, 5; Ad. 154.

Illa uerba dirimuntur Rud. 1312 *uolo ex te scire* et Aul. III 6, 27 *uolo ego ex te scire.*

Semel inuersus ordo in BJE traditur Curc. 543: *Scire uolo quoi reddidisti.* || *Lusco liberto tuo.*

5. *Volui dicere*

locutio non nisi in extremo uersu occurrit his locis, quos Ritschelius op. II p. 438 congessit: Most. 830 *Dormiunt?* || *Illud quidem, ut coniuent, uolui dicere;* Amph. 384; Cas. II 6, 14; Pseud. 711. 843; Rud. 423; accedunt ex Terenti fabulis Andr. 841 et Eun. 504; contra Mil. 27 *Quid brácchium?* || *Íllud diceré uolui, femúr*, ubi Ritschelius proposuit *Quid brácchium?* || *Íllud fém⟨in⟩ur uólui diceré*, librorum memoria non sollicitanda erit, cum in aliis quoque locutionibus aliam in extremis uersibus aliam in mediis usitatam fuisse collocationem docuerimus.

6. Vltimo loco proferemus formulam usitatissimam *Sequere hac*, ad quae uerba *me* uel *me ergo* uel *me ergo intro* uel similia haud raro adiciuntur: Amph. 660 *Meus uir hic quidemst.* || *Sequere hac tu me;* 674; Asin. 490. 648. 810. 876. 941; Aul. II 5, 23; Bacch. 39. 169. 499. 831. 1166; Capt. 293. 764. 953; Curc. 87. 454; Epid. 657; Men. 562; Mil. 1009; Most. 857; Pers. 321. 332. 399. 751. 752; Poen. I 2, 116. II 54. V 4, 40; Rud. 1357; Trin. pr. 1; Andr. 978; Eun. 714; Heaut. 743. 832; Ad. 280.

Huic usui hi uersus repugnant: Amph. 628 *Sequere hac igitur me: nam mihi istuc primum exquisitost opus;* Bacch. 108 *Sequere hac igitur me intro lotum, ut sedes lassitudinem;* uidetur

tamen Fleckeisenus in priore uersu recte edidisse *Sequere hac me igitur*, eundemque uerborum ordinem etiam Bacch. 108 proposuerim: conf. Capt. 293; Most. 857. — Pseud. 1230 *Di te perdant. sequere sis me ergo hac ad forum, ut soluam.* || *Sequor* Ritschelius suo iure restituit id quod numeri commendabant *séquere hac sís me ergo ád forum.* — Stich. 671 *Sequere ergo hac me intro, Sagarine.* || *Ego uero sequor* probanda erit C. F. W. Muelleri coniectura Pl. Pr. p. 509 sq. et Nachtr. p. 50 *Sequere hac me ergo intro* proponentis. — Rud. 184 *Bonum aequomque oras.* || *Sequere me hac ergo.* || *Sequor* eundem uerborum ordinem *Sequere hac me ergo* ita restituendum esse existimo, ut *intro* post *ergo* suppleatur: *Séquere hac me érgo ⟨intró⟩. Sequór.* — Truc. II 8, 14 *Crudum uirum esse. Sequere me hac: uerbum sat est* C. F. W. Mueller Nachtr. p. 50 *Sequere hac me* emendauit. — Idem l. l. recte obseruauit Trin. 1109 *Illic sum atque hic sum.* || *Sequere tu hac me intro.* || *Sequor*, ubi *tu hac me* B, *tu me hac* CD tradunt, *Sequere hac tu me intro* scribendum esse: conf. Amph. 660. — Curc. 370 *Dícam quemádmodúm conscribas. séquere me hác intró.* || *Sequór* sic emendandum conicio: *Dícam quemádmodúm conscribas. séquere hac me ⟨érgo⟩ intró.* || *Sequór.* — Heaut. 664 *Sequere me intro hac.* | *Vt praeter spem euenit. quam timui male.* Cum *hac* in A desit, hunc uersum corruptum esse mihi persuasi et hunc in modum redintegrandum: *Sequere hac ⟨tu⟩ me intro.* || *Vt praeter spem euenit. quam timui male:* conf. Capt. 953 et Trin. 1109.

Lipsiae, typis Breitkopfii et Haertelii.